

RECTOR ACADEMIAE
ROSTOCHIENSIS
EILHARDUS LUBINUS
POESEOS PROFESSOR.

Dulcherrimum apud Poëtas figmentum exstat, quo
fabulantur mortaliū hominum vitam à Parcarum
filis dependere, quibus aut violenter abruptis, aut ab
Atropo infectis procius decidant, & moriantur. Et
hæc vitæ filum omnibus quidem equaliter abrum-
pi & amputari. Hoc tantum interesse, quod alij à candidis, alij à
pullis & nigris filis suspendantur: & rursus alij in sublime à terrâ
sublati, alij verò terræ vicini & humiliores; dumq; singuli decidant,
nullum aliud discrimen esse, quàm quod graviore ruinâ terram pul-
set, & majore tumultu decidat is, qui à candidis filis sublatus altiùs
pendebat. Et non immeritò fortè quispiam hæc Poëtarum figmen-
ta rideat, & hæc vanos Poeticos lusos & jocos esse existimet. Verum
lusus & jocos ille, proh dolor, nimis serius, nimis savus ac severus.
Qui utinam in gregarios & inutiles homines, quos Poeta Homerus
Ερώσιον ἀχθὸν ἀπέσπεν.

Et Horatius Numeros vocat, & fruges consumere natos, dun-
taxat exerceretur! Aut in homines turbidos seditiosos, pestilentes in-
sulsos, qui Academiâs, Respublicas, totas provincias, tota regna com-
mittunt, & motis litibus, rixis, controversijs, seditionibus, alijsq;
calamitatibus, quibus terra ferax & ferox est, passim perturbant,
Publica privatis miscentes, sacra profanis.

At vero jam in magno nostro damno passim experimur, hoc fatorum,
ut cum Poëtis loquar, inclementi ludo (quem rectiùs Dei justissimè
irati severissimum flagellum dixerimus) plerosq; optimos ante diem è
medio tolli. A quibus non solum non abstinent hanc ludendi licenti-
am, verum hisce præ reliquis omnibus quasi deditâ opera videntur
insidiari.